

sonitum dedissent nemine eas pulsante, ut ostenderet mortalibus Christus dominus cum quanto gaudio karus suus Willelhelmus, quantaque celesti Ierusalem exciperetur alacritate. Dignum fuit equidem, ut tanto uniuersa congratularetur uiro celestis curia, qui longe ante fidelium auribus et regis Ludewici reuelauit se mori, pro meritis praemiis sciens se centuplicatis a Christo remunerari, culmina celi penetrando, cum angelorum immensitate gaudii.

Ymnus de sancto Willelmo^l.

Nunc nunc mirifica luce coruscat cunctis numinibus sede polorum Willelhelmus gratulans cernere Christum ambit, secula qui cuncta gubernat. Cui nunc pro meritis ianua celi magnis^m iam patuit, clamat herilis ex alto ac tuba qui militas intraⁿ, ut sunt astriferis sedibus ampla. Sic terris merita dante superno Willelmi precibus iudice Christo, ad cuius tumultum sospite turba egrorum^o diutinus languor abit nunc. Quapropter socii oreque corde promamus domino uoce sonora odas innumeras tempus in omne, cui sit summus honor gloria perpes. Amen.

Inde nunc pia subiungentes oramina, petimus eum sexagena comptum per ...

l) Will̃ Hs.
Hs.

m) *korr. aus* magnus.

n) *so Hs.; lies* in terra?

o) egrum